DOMINCI NOCCA ... BOTANICES COMMENDATIONEM ORATIO SERMONE...

Domenico Nocca

E tanta hæc quidem Mincii, haud ſcio ne dicam, an Benàci: vel permixta verins utriusque junctim aquarum copia, quæ pleniſſimè in Lacum collectæ, mœnia quacumque alluunt; Urbemque ſic firmant, ut nemo unus ad eam oppugnandam acceſſerit, qui tum ſpontè vel armis non abſtiterit: vel fugatus cum dedecore non diſceſſerit. Et Pontes mirum in modum longe lateque patentes: Incolis, Advenisque ob idipſum de induſtria ſæpenumero commeantibus, jure celebratiſſimi; ac Principum olim hic in puppi ſedentium favorem, munificentiæque laudem ad ſempiternam memoriam propagantes. E aptiſſima hæc viarum, rectà plerumque excurrentium, amplitudo, atque accurata plane partitio, commodiſſimusque omnino alterius ad aliam, rhedis etiam undique concurſantibus, nullo diſcrimine tranſitus; & publica, & privata magni operis ædificia; & ampla cum ad oblectationem, tum ad res quasque divendendas ritè ubivis conſtituta Fora; quin & ad Deum, Divosque colendos una optime diſtributa pulcra ſatis, ac religioſiſſima Fana: quæ inter maximum illud exſtat Andreæ Apoſtolo ſacrum Pretioſiſſimi a Latere (ut communis fert opinio) CHRISTI SANGUINIS LIPSANA, multo aliis venerabilius, cunctisque anteponendum; Opificii elegantia, majeſtateque pauciſſimis foris itidem poſthabendum. — Hæc porro, atque alia, quæ prætereo, ea ſunt glorioſiſſima ſane permulta, quæ (dum *miræ* adeo

 rerum

rerum copiæ me ſtupor obruit, atque confuſio) veruntamen hic me jam coram adeſſe commonent, certumque affirmant: Voſque Mantuæ Optimates, Cives, Profeſſores, Scholaſticos, quotquot eſtis, genere, ac litteris ſpectatiſſimos, hodierna luce me alloqui plane, aperteque denuntiant. Neque vero in hoc Artium, Scientiarumque Theatro ſic hodie fari per me liceret; ni ſplendidiſſimum Academiæ hujus Veſtræ lumen, Deceſſorem nempe meum Angelum Gualandris (quem honoris, neceſſitudinisque cauſſa nomino) præmature invida mors extinxiſſet: in ejusque me locum Auguſti Cæſaris Leopoldi II. clementia non ſufſeciſſet, quanquam neque ætate, neque ingenio, neque doctrinæ amplitudine, dicendique vi, morumve ſuavitate ſim ipſe certe cum tanto homine comparandus.

Vos perlubenter inſpicio inclita ſane Urbis Mantuæ mœnia: neque ut tuto ipſa Vos eſſe dignoſcam, penitiora neceſſe eſt mihi vetuſtiſſima fundamenta veſtra rimari vel ad ejus tumulum detegendum, qui primum, æternumque ad gloriam duraturum tam magnæ, firmiſſimæque ædificationis lapidem poſuit, Almæ Parentis nomenclatione notatum; vel ad Divini Poetæ, Latinorumque facile Principis, cunabula perluſtranda: cujus Carminum laus Mantuani Nominis famam eo provexit, quo potentiſſima Veteris Latii vexilla minime unquam pervaſerunt. At vero Mantuæ Urbis celebritas continenti præſtantium ejus Filiorum ſucceſſione cumulate ſatis ipſa ſe prodit. Jamque eos (ut binos *) nuper Regia quoque ſuſpexit Vindobona) magnitudine

*) Marchio D. Odoardus Zenettus: & Comes D. Aloyſius Cocaſtellius; prior quidem *Tribunalis*, ut ajunt, *Appellationis* Præſes; Regii alter *Ducalis Magiſtratus* Mantuæ pariter Præſes: uterque magno hujus Patriæ commodo apud Leopoldum II. Orator.

dine animi, virtuteqne micantes videre mihi videor: receptumque a Majoribus decus, ac Patriæ jura veriſſime, ſtrenueqne tutantes, amplificantesque; quod peracris ingenii, ac fortes Viri, non firma editiora mœnia; Viri pietate, non veſtium cultu, curruumque elegantia inſignes; Viri denique ſtudiis, ac litteris dediti, doctrinaque præclari, non ipſa per ſe præclara ædificia, conſpicuas apud exteros Urbes reddunt, abſolutamque efficiunt Reipublicæ formam, atqne adminiſtrationem. —

Cum tamen inanis ea ſit cogitatio, ac ſpes plane futilis, florentem in Populo ſtrenuorum, doctorumque hominum ſobolem perſeveraturum, jacentibus, deſpectisque Bonarum Artium, Severiorumque Diſciplinarum ſtudiis; qui hercle immortales non ſtatim agat Beneficentiſſimo Cæſari gratias: Ejusqne in Patriam hanc Veſtram perenni non efferet laudatione liberalitatem, atque indulgentiam; quippe qui dum noviſſima tot Profeſſorum, Studiorumque acceſſione priſtinum donat Mantuanæ Academiæ ſplendorem, ac decus: Parentis quoque ipſi adiudicat, atqne Altricis maximorum hominum gloriam, qui belli, pacisque artibus in omne tempus clariſſimi, ad perpetuam erunt Mantuanorum Civium laudem terra Marique florituri. Quam obrem graviſſime quotquot inclitæ hujus Urbis alumni, mea qnidem ſententia, peccarent, qui tanto Cæſareæ Humanitatis favore abutentes, Studia cuncta ſegniter negligerent: virentemque adhuc poſt tot ſecula, in ore Patriæ vetuſtiſſimam Gloriæ Laurum, per ſe ſinerent turpiter areſcere. Enim vero ſi optimæ quæque Litteræ ſuperioribus ſemper ævis, itemqne hoc noſtro, naviter hic exultæ Marones, Iſpaniolos, Caſtilionæos, De Benefactis, Pomponatios, Donatos, Caprianos, De Arrivabenis, C

luppos, Archios, Andreaſios (peritura certe nunquam nomina) protulere; nonne Patriæ immemor plane foret, qui alia prorſus ratione, quam Studio, Viris etiam bellatoribus tantopere neceſſario, ſartam tectamque eruditorum Mantuæ Civium familiam tueri poſthac ſe poſſe arbitraretur? Uno verbo dicam, quod eſt certiſſimum, atque in oculis plane omnium. Ingens ſcientiarum apparatus, earumque comparandarum indeficiens cura atque ſollicitudo doctos facit homines: doctrina vero & Docti, & Patriæ ſimul Docti nomen ubique prædicat, redditque glorioſiſſimum.

SED jam mea vos ſpectat, compellatque potiſſimum Scholaſticos juvenes Oratio. Quamquam haud eſt mihi magnopere enitendum, quo illud, quod in oculis omnium veſtrum renidere jam video, nobiliſſimum ſane optatum excitem, provocemque: jungendi ſcilicet, obligandique vos mihi, dum peramplum, ac delectabile Vegetabilium Regnum, juſſu Cæſaris percurrendum, inveſtigandumque ſuſcipio. Argumentum id eſt ſane magnum, atque elegans juvenes ſtudioſiſſimi: cui quidem pro dignitate tractando ſummorum Demoſthenis, ac Tullii vix par eſſet oratorum, dictio & eloquium. Sed quoniam (nec difficilis fateor) nullus eſt mihi in eloquentia locus, rem ipſam curabo quam optime potero: contendamque interea animum ut dilucide ſatis pro virili parte ipſe vobis modo perſuadeam, Botanicam Facultatem eſſe omnino dignam, quæ ab ſapienti homine ſive ametur alacriter, addiſcaturque continuo: tum ob ejus plurima ſane commoda, tum ob jugem variamque ſemper in ejus perceptione delectationem. Atque utinam tantum in cauſſa æquiſſima peraranda mihi eſſet præſtantiæ roboris; quo univerſos omnes facilis ingenii, memo-

ria-

atque Juvenes ad id ſtudium confeſtim arripiendum ſic allicerem permoveremque, ut ſuos Senis, Bononiæ, Hiſpaniæ, Sueciæ, Bataviæ, Germaniæ, Helvetiæ Mattiolos, Aldroandos, Plinios, Linneos, Cavanillios, Ortega, Jacquinios, Scopolios, Geſsneros, Halleros minime poſthac Mantua deberet invidere. Quorum ego duorum extremorum, Jacquinii dico, etſi ætate dev[redacted], vivide adhuc ad ſcientiarum incrementum Vindobonæ viventis; Scopolii contra magno Litterarum Litteratorumque diſpendio, Papiæ improviſo funere jam erepti dolenter unà, dulciſſiméque ſemper meminero: quod Magiſtris æque, ac Parentibus nulla umquam par merces reddi poſſet & gratia. Nunc ad propoſitas Orationis partes ſingillatim comprobandas lubens accedo. Favete auribus; adeſte quæſo animis Auditores, Scholaſticique egregii, meque etſi longiore fortaſſe quam vellem, ſermone dicentem humanitate ac favore veſtro ſuſtentate!

Probe intelligitis Auditores, propoſitam Orationis tractationem non ſublime, non ſplendidum, non ingenioſe quidquam, ſubtiliterque excogitatum continere. Simplici plane dicendi formula duas, itidemque ſimplices atque (ut modeſtum decet hominem) verecundiæ plenas propoſitiones pono, quæ Vobis Audientibus manifeſte ſatis declarant, noluiſſe me conquiſito, novoque argumenti genere magnifice potius obtegere, ac depravare, quam candidè, & ex animo veritatem excutere, & aperire: cujus equidem fuit, eritque ſemper ingenua & caſtiſſima forma. Et ſane, præterquam, ni ita facerem, tempore abuterer ingenioque: ignarum quoque illum (quem Aulus Gellius per infamiam memorat) Urbis Romæ ſenatorem, ad imitandum nequiter declinarem, qui multis, iisque veteribus,

bus, peritiſſimaque manu affabre elaboratis ſignis collectis, pulcberrimo, quod æque ſuum fecerat, Deam Floram exhibenti, faſciculumque comæ inſtar productum, Amaranthisque ac Roſis mirifice intextum dextra geſtanti, hanc ipſam continuo abſcidit, ratus candida naturæ ornamenta debilitatem inconſtantiamque venuſtatis perſpicuè ſignificare. Quin vero ipſe ſibi quisque plus ſemper arridens, plaudensque cogitatis, eo inſaniæ proceſſit, ut Jovis manum fulmina emittentem in amputatæ locum ſubſtitueret; feſtiviſſimamque primùm Divæ effigiem, hominumque delicias expreſſè referentem, triſtem tum redderet, commutantem, mancam atque ridiculoſam; cum vellet optimam efficere ac potentiſſimam. Ab tali mehercle, tantoque Romani hominis errore cavebo, ne parem jure ſubeam & ipſe vituperationen reprehenſionemque omnium veſtrum, qui tam magna frequentia, ac comitate huc ad me audiendum couveniſtis. Flora hæc noſtra commutatione certe non eget, quo gratiam apud vos ſibi pariat, atque exiſtimationem, Optime ipſa novit quæ modo, quantaque ſciri ab ſe poſſint, ac debeant. Subliuiores utique facultates reliquæ Botanica perinde majores, familiaria, ſibique propria inſignia, atque honorificentiora plane teneant inſtrumenta. Quæ Tiaram ac Lituum: quæ Trutinam, & Enſem: quæ argenteam Epidauri Sanantem Pateram: quæ demum, ut Cibele, tot fæcunda Nepotum, Circinos, Quadrantes, Perpendiculum, Tubos, Priſmata criſtallina, Teleſcopia ſcite teneat atque attrectet, vel ad nova ſemper detegenda, vel ad jam inventa illuſtranda atque amplificanda. Parva ſane levis, ac ne libero obſtet greſſui, breviſſima ſimul noſtra ſat eſt Ruſticulæ Cyclas, atque una præ manibus bene inſtructa, & acuta falcicula,

qua

qua Florem oeyus ex hortulo legere, varias halantesque diſſimiliter ex pratis herbulas, ab nemore ramulos valeat continuo decerpere, defixisque oculis operoſe quæque intueri, nominatim, ut ita dicam, definitèque ea ipſa interrogare, ſingula de ſingulis curioſe percontari, conſulto naviterque cuncta perpendere; atque ita quidem ad magna naturæ phænomena intentum animum adjungere, quaſi minima deſpicatui haberet; & contra ſic extrema hæc, etſi exigua, magni facere, tanquam majora & grandia omnino ignoraviſſet; ut tum ab obſervata ſedulo re quaque, ſi non tutiſſima ſemper, de Vegetabilium natura, vi, atque præſtantia, argumenta ſaltem, acute ita experiendo, ratiocinandoque, eliciet probabilia.

O vos optimæ univerſæque Philoſophiæ amatores, Profeſſoresque: O Juvenes ſapientiæ & vos Miuervæ cultores, quos propriæ veræque gloriæ amor ad Botanicæ ſtudium perſequendum urget ac pungit, ejus ad amuſſim veſtigia terite, quo famam auctoritatemque ipſi vobis quotidie magis comparetis, pleniſſiméque triumphum agatis de injuria temporum hominumque invidorum. „ Repetita „ diligens obſervatio ad quæque naturæ opera ſollerti re„ petitæ ratiocinationi conjuncta, una eſt viro philoſopho „ patens via ad hæc ipſa propemodum ſua propria fa„ cienda. “ Quod etſi in argumentum alind ab eruditiſſimo Muratorio ſit dictum: *) attamen in rem quoque noſtram id celeberrimi ſcriptoris monitum aptiſſime quadrat. Natura ſuis, non minus quam noſtrum omnium ſerviens commodis, ſingularem ab ortu, planeque inexplebilem haud temere nobis indidit ſciendi cupidinem. „ Curioſum

 „ nobis

*) In libro ſul buon Guſto.

„ nobis (appoſite inquit Seneca, ſtudioſiſſimus naturæ ſpeculator) „ Curioſum natura nobis dedit ingenium. “ Geſtit ipſa propterea delectaturque magnopere quum ſua attente per nos inſpici, tum ſemper exquiſitius quærendo per nos arcanæ inveſtigari.

Scitiſſime porro (ita laudatus Magnus Seneca proſequitur) ſcitiſſime porro medio nos univerſitatis centro Natura locavit, ubi nulla ejus pars tegitur, aut ocultatur. Quare vix oculos reſervamus, obtutumque aliquò figimus, quod dimidia fermè mundi pars nobis actutum ſeſe offert contemplanda. Veruntamen ſi quis eſt nimium fortaſſe meticuloſus, qui mentis acie tam alte ferri non velit, ut ſtellarum inerrantium numerum, loca, virtutem, dimenſionesque aſſequatur; pulcherimamque item nequeat in mirabili Planetarum opere, orbitarum ſeriem, congruentiam motuum, aſpectus varietatem, cujuscumque demum geneſin inſpectare, ac perſcrutari; magna nihilominus, ſolam intuens telluream, ac viri philoſophi obſervatione, perveſtigationéque digniſſima naturæ arcana reperiet. Immo velut Lineæ circulum ſecantes ad ſe invicem magis accedunt denſioresque fiunt, quo Centro propiores, omnesque poſt una coeunt in Centri Punctum; cuncta ſic opera, effectusque naturæ innumerabiles, eximiique in unum tandem confluunt definuntque Centrum univerſitatis. At vix iſta diſpicere, neque facilis negotii, neque ruſtici eſt hominis atque illiterati. Nam ubi vir rudis, ingeniique, & omnis eruditionis expers, quid mirari debeat, omnino non ſentit; philoſophus contra novitate, rerumque magnitudine ubivis illectus, abreptusque obſtupeſcit, obruiturque miraculis. Evenit nempe primo, rudi ſcilicet homini, ac inerudito Terram perambulanti, quod accidit

ſecun.

Digitized by Google

ſecundo vento Mare proſpere naviganti; qui novas ſemper ſinus, nova ſemper lætiſſima littora, portus ac freta, proſpectusque varios vix eminus intuetur, quod ſuo repentè evolant è conſpectu: ſeque nec cogitante omnia ſimul momento temporis dilabuntur. Alteri ſecus obtingit, docto ac intelligenti rerum naturalium æſtimatori: ejusque inſtar fulgentiſſimo in theatro, nunc bene pictæ Regalis Aulæ, modo arcuum curruumque triumphalium Architectonicen; Villæ modo, ſemitarumque, ad otium, amœnitatem gradatim, lentoque ordine è ſententia inſpectantis, jucundiſſimoque at nunquam conſpectu ſaturi (gnarus) ſic homo & eruditus oculis animoque, quæ ſibi obviam in natura ſiunt, avidiſſime cuncta colluſtrat: eorumque ut cum maxime captus elegantia, in aſſidua ſingulorum meditatione ſumma cum voluptate verſatur. Hæc autem etſi omnibus Naturæ ſtudioſis communis, attamen Botanicæ cultorum ſingillatim eſt propria, & vero felix conditio (en Auditores apta quam hactenus in ſententiam texui illatio) eo qui in eo præcipuè Botanici ſint ut Naturam exquirant, ubi ipſa ſpendidius ſua in fœcunditate ſe præbet, innumeræque propemodum ejus ſobolis mira plane famoſitate. Ordior a priore.

Naturam veteres pingere conſueverant ſub forma Iſidis uberibus lacte diſtentis undique refertiſſimæ, ad innumerabiles, quos continenter edebat, partus educndos, ac ſuſtentandos. At in ampliſſimæ prolis numeratione exprimenda ars continuo deſuit & ingenium. Quis enimvero tam valens extitit, eritque, ſingula ut quiverit aut poſthac queat arbuſta, frutices quotquot, plantas, flores, fructus, ac ſemina quæquæ pæne infinita enarrare: quorum eſt omnium parens tellus, ac nutrix. Non ad individua

dividua ſolum quæ ubique tota ſundit humus, ſed ad rerum ſpecies vix recenſendas vana omnino foret, atque inepta prorſus ea agendi ratio, qua luſtrandi exercitus cauſa Perſidis rex uſus eſt Xerxes; tum quando intra maximi Circuli ambitum (ne in errorem laberetur) ſuorum iniit agminatim numerum armatorum. Id certe, alio quoquam rejecto ejus eſt opus & gloria qui-numerat multitudinem ſtellarum-easque proprio inclamat nomine. Ejus, inquam, ſupremi Numinis potentiſſimi, cujus nutu cuncta gignuntur ac moderantur; ab ejusque tantum infinita ſapientia, ac voluntate miram adeo nata eſt tellus ipſa fœcunditatem, quam nemo unquam, etſi Rerum georgicarum ſtudio attritus, earumque peritiſſimus, veriſſimè, minutiſſimeque poterit introſpicere, ac penetrare. Quod ſi omnium ſapientiſſimus Salomon abſolutiſſime, ut fertur, arcana hæc novit: divino unice ſingulari beneficio tantum arbitror privilegium habuiſſe. Omni quo circa neceſſe eſt homini, cum doctiſſimo ſcriptore libere, ingenueque profiteri „ quod facilius eſt Naturæ facere, quam homini „ recenſere. " —

At in tanta etiam variarum rerum copia, diligens expertusque Botanicus nihil omnino de amore remittit ſuorum vegetabilium, deque ſtudio, ac perſeverantia tuendæ ſemper omnium dignitatis. Immo quaſi occultæ cateuæ annulum ob id arriperet, primumve diluculum, aut ſemen, alterum paullatim diem, large alterum ad doctrinam Meſſem afferentia perſpiceret; animos hinc ſtatim, viresque ſumit: nec diſſimilitudine, neque vero obrui ſe ſinit Botanicus rerum multitudine. Simillimus propterea, juxta Gottingenſis Botanici dictum, viro aſtronomo qui ab in-

cepta

cepta ſiderum contemplatione non abſtinet, quamquam eadem minime queat enumerare. —

Huc accedit tam multæ terreſtris prolis formoſitas, qua una contemplanda tantum capit vir Botanicus voluptatem, quanta percipi poteſt maxima. Orgagi ac Zeuxis factum memoria quæſo repetite Auditores. Egregii cum eſſent utrique ſui ævi pictores: horrendum unus Meduſæ monſtrum: perfectam alter cumulatiſſimæque Venuſtatem humana ſpecie, & figura exhibitam in tabula Zeuxis effinxit. Ac primi hercle in famoſum Meduſæum opus intento res bene, proſpereque pro voto ſucceſſit; dum quicquid in ſordidioribus, turpiſſimiſque brutis animalibus undique, conſultoque ab ſe collectis, fœdiſſimum, atque ad deformitatem inſigne ſtudioſiſſime primum animadverterat: aptis id, vivisque poſtea coloribus in depicta Meduſæ facie totum expreſſit. Oppoſitam plane, ut par erat, Zeuxis inſtitit viam, præcogitatum ut efficeret Archetypum Formoſitatis. Quotidianarum facile tædebat Zeuxin formarum; coactiſque propterea omnibus ejus ætatis eximiæ pulchritudinis Crotonienſibus mulieribus, ac puellis, mira fecit arte ac diligentia ſua, ut præſtantiores ſingularum dotes, earundemque ſeorſim elegantiora cultus corporis ornamenta in pictam ab ſe effigiem perfecte cuncta colligerentur: eaque in poſterum, ſe uno auctore, una pariter omnium eſſet imago ſummæ Venuſtatis.

Vegetabilium ſtudioſis iſtiusmodi ſane non eſt opus invento. Diſcipuli ut ſunt naturæ amantiſſimi, plurimumque & ipſi Naturæ dilecti, qualibet in herbula, in Flore, Fructu, Arbore vel ſativa & miti, vel agreſti & inculta, in parvulo quoque ſemine perrarum id omne, ac pretioſum

ſum deprehendunt, quod in unaquaque egregia creatâ forma diſpertitum reperitur.

Jucunde hic olet: apta hic eſt partium compoſitio, atque ordo fibrarum venarumque: & recte congruentia hic vaſa extant, qua ſuccum, qua lacteum, qua lympham in tempore vehunt. Inſpicite amabo ex his quædam erecta ſtrata nonnulla, recurva, ſeque mutuo alia interſecta, ſucreſcentia demum alia, & decreſcentia, inſpicite Auditores. Ac ſuo quidem ſingula hæc vaſa modo, in Caulem influunt pergrati odoriferi vegetabilis. Videte quæſo, ut flexilis, lævisque eminet, & aſſurgit, apteque cortex evolvitur; etque bene ſtructa firma epidermis, perinde ad tutamen iuſternitur; dum nutrientes interim ſucci totum ipſum irrorant Corticem præclariſſime, colorantque, itidem ſatis pulcre diluto, loque ſubflavo.

Pergite jam ad ea queis interior ejusmodi Caulis ſtructura componitur, obſervanda. Omnia hic pariter circumſpicite: Membranas, ut ajunt, ſtrata permulta, diſſimilia integumenta, venas, ſinus varios, obliquitates, rimulas, canaliculos, medullam, magni procul dubio quæque pretii atque uſus, multoque digna examine, atque experimento.

Quid tum poſtea de textura dicam, variaque adeo frondium ſuperficie! Quæ inter omnes eminent latitudine, quæ præſtant aliis longitudine: quæ diverſiſſime implexæ, multisque flexibus ſinuoſæ, vel acuminatæ, quæ eleganter rugoſæ & criſpatæ, aut in paria ſegmenta diſſectæ, & angulatæ; ſtrigoſæ quædam ſunt contra nonullæ, plus minus ve pulpoſæ obſiſtentesque contactui: quamplurimæ etiam non eodem plane modo, ſed varie canaliculatæ: Age vero, frondes ipſas colore infectas conſideremus.

Bel-

Belliſſime hnno violaceum una, ac purpureum: ſuccoſum, ſuavemque nunc præferunt virorem; nitentibus modo verſicoloribus maculis, veluti punctis aſperſæ, venisque intermixtis ornatæ, hilariures emicant, ac fulgent, miro quidem artificio: at nullo artis præſidio comparato. Etſi autem interpoſiti coloribus veuarum ductus, totque in pingendis frondibus Naturæ luſus, coloresque vel ipſi inter ſeſe identidem ſint ſejuncti; magua attamen viſus fraude ſic quæque clanculum innectuntur, ut quo magis inſpectantium oculi adlaborant, venuſtiſſimam tum minus tantarum rerum permixtionem conjunctionemque percipiant. Atque ſi folia non pauca exſtant ſcabri, & ſquamoſi corticis: complura quoque aculeis, uucis, feſtucis, ſentibus refertiſſima, quæ ne dum non paſcunt, ſed oculos a conſpectu ſtatim avocant, tenellasque, vel ab levi tactu manus retrahunt an eadem idcirco invenuſta quis dixerit, omninoque propterea ab hortis eliminanda? Penteſilea & Clorinda ambæ pulchritudine inſignes, nu[illegible]minus formæ dignitate nitebant, dum graviſſimis toto corpore armis eſſent ad bellandum inſtructæ? Non ita plane. Id ipſum æque in Vegetabilium regno contingit: cunctæ cujus ſpecies, ac individua, etſi viſu quædam horrentia, foliisque itidem undique ſpinifera, Eruditorum nihiloſecius jure, meritoque iu ſe concitant admirationem: ſuamque, & ſic ruſtice atque indecore conveſtita, retinent formoſitatem, quæ plerumque magis ea delectat aliorum quorumlibet ſpecie tenus pulcriorum. Ac ſi quidem id mihi propoſitum non eſſet caute ad modum & parce ad mearum rerum fidem ſcriptorum dicta proferre, appoſite in hanc ſententiam confeſtim cum Plinio dicerem „ providentiſſime „ naturam frondes nonuullas, ac plantas aſſidua acutiſſi-

„ ma-

„ marum ſpinarum germinatione quaſi clypeo protexiſſe:
„ ne illas depaſcat avidia Quadrupes, ne procaces manus
„ rapiant, ne inſidens ales infringat, his muniendo aculeis
„ teliſque armando, remedii ut ſalvæ fiant. “ — Poſt hæc Plinii verba unum meo arbitratu opportune, ut credo, exemplum ſubjungerem, ne in multa inutiliter excurrat Oratio. Eſt vero id a Planta ſumptum quæ Cactus Flagelliformis nuncupatur; quæque[illegible]m exhibet, qua nulla melior videri tam facile poteſt. Quippe tam etſi flagellis, anguibusque pene ad horrorem in totum contexta; at tempori florem emittit, Oſtrum ſui Coloris fulgore vincentem Carbunculosque nitidiſſimos, ac Pyropos Viſaporæ omnium celeberrimos.

Quandoquidem vero de floribus ſermo venit, placet hic de eorum pulchritudine dicere, in eaque paululum immorari. Atque in hoc quidem valde me amo haud ſtudioſe longeque nimium id probantia oportere me argumenta petere[illegible], quæ ipſa per ſe ultro, candideque rei offert perſpicuitas, omnium etiam conſenſione firmata. Pulcros utique flores dicant puellæ quotquot, ac nuptæ, quæ mirifica abreptæ venuſtate, immotis oculis, intentoque prorſus animo perfectam eorum formam ſuſpiciunt: gratiſſimo perculſæ aſpectu repente adamant, nec paucis modo contentæ, plurimos, ſi fas eſt, vel uno ſtipite avellunt, ſeſeque alacriter feſtiveque totas exornant. Pulcros celebrent Scholaſtici, rei Botanicæ apprimè dediti, qui hortum publicum frequentiſſime adeuntes, jam alii aliis digito flores tutiſſime monſtrant: quid ſint, cogitatione comprehendunt, nomenclatura non errant. Pulcros Advenæ prædicent, qui vix novæ urbis limina ſalutant, hortum, ſi quis eſt, contiuuo avent inviſere, quaſi tem-

plum

plum floſculorum venuſtati ſacrum; atque ut eſſe ſolent in alienos minus comes, & laudationis avari, tanto ſunt etiam, ſi viridaria non ſua probant, Judices æquiores, laudatoresque, noſtratibus omnino anteponendi. Pulcros omne hominum genus enuntiet. — Nemo enim eſt ferme unus, vel loci, vel fortunæ defectu ad hortulum domi inſtruendum minus valens, qui Jasmini ſaltem, Roſarum, ac Violarum, Serpylli, ac Mirtus, aliarumque fragrantium herbularum teſtas ſibi non comparet ad ſolatium, & adjumentum: Quippe dum hæc discolori varietate bene habent, ac delectant: juges quoque, ſuaviſſimosque, Aromatum inſtar, Spiritus exſpirant, totamque in ſe excipiunt malignarum volitantium atomorum nequitiam.

Pulcros confirmet Botanicus peritiſſimus, qui litteratos dimidiæ primæ partis quarti ævi viros, maximis ad pene amiſſa puriorum præſertim latinitatis ſcriptorum opera colligenda (quæ poſt commode ſedentes exſcripſere) itineribus perfunctos, longe antecedens, procelloſum ubivis interritus Mare navigat; plagas quasque, ac temporum intemperiem audacior temnit; aere undique ad meridiem æſtuante operoſus exſudat in rupe, alget in valli, deſertoque, ac frigido nemore; nec tamen facti unquam tædet permoleſti; quin ſibi eſt maxime volupe tot perpeti, novum modo novis in Oris pabulum ſtudii reperiat, ſingularibus habitis, primumque incognitis floribus; quorum etiam paucorum ejusmodi adeptionem poenarum, quas tulit, optimum cenſet eſſe præmium, tantique ſui *laboris*.

At plus cunctis Flandria, Belgium, Gallia, quodque omnem excedit fidem, inſecta quoque *florum* pulcritudinem extollant, & admirentur. Re quidem vera prio-

rum duarum Regionum incolæ, civesque ſe invicem impediunt, colliganturque una inter ſe mutuo, amplas ut planities apertas, humumque ipſam ſtagnanti aqua corruptam, morbidoque aere infectam, in tot vertant beneculta viridaria florum amœniſſima; Italiſque dein alienigenarum ſemper rerum fautoribus, Africanos bulbos; propriosque etiam ſub Aſerorum nomenclatione magna impenſa divendant.

Flores item Gallia, ut dixi, potiſſime efferat, quæ magno certe ponit in lucro ipſos, eorundemque colores quotquot graphice ad naturam in telis exprimere, & imitari. Collaudent denique inſecta paullo ſuperius commemorata, quæ circa floſculos indeſinenter volitant, non tam nutrientis ſucci ebibendi cauſſa, quam contemplandæ, ut opinor, formoſitatis, neglecto etiam ob id ſummo plerumque vitæ diſcrimine. Nam, ut alia exempla taceam, muſcis ſæpe numero accidit oris ſpiculo, binis maxime in plantis, implicari: quarum una Apocinum androſæmifolium, alia Nerium Oleander albo flore a Botanicis vocitatur. Queis quidem Muſcas facile capi novimus: quippe quæ florum inter ſtamina, ad ſpiræ modum in apice juncta, ſpiculum infigant: in eoque rurſus abducendo, quanto altius attolunt, tanto etiam magis ſpiculo ipſo obſtringuntur & illigantur.

Haud itaque obſtupeſco, in antiquiſſimis annalium monumentis permultos legi inſignes viridariorum cultores; quodque pluris æſtimo, potentiſſimos item, ampliſſimæque dominationis Reges celebrari, qui non tam ad ingenuas quasque artis fovendas, ſed in univerſam æque Rem Botanicam provehendam eorum ingenii favorem, atque operam contulerunt. Egregius Philoſophus, atque Athe-

nienſium Copiarum Imperator Xenophon, Tyrum Perſiæ Regem ſumme commendat, quod in magnam vegetabilis naturæ portentorum admirationem hic raptus, iis in perſpiciundis, contemplandisque ſe totum ponere conſueſceret. Narrat Sidonius, Theodoricum: & Stoicus Seneca, Scipionem, Regem illum prudentiſſimum, Ducem hunc ſtrenuiſſimum horis ab occupationibus vacuis, in herbarum utrosque doctrina ſeſe ultro atque indefeſſe exercuiſſe. Hiſtorici referunt alii, Diocletianum Romanorum imperium abdicaſſe, quo Spalatum ejus Patriam pergeret, atque in Horti ab ſe facti otia tuta recederet, & Maſiniſſam Nomadum Regem extremo vigente ſenio glebas animoſe fregiſſe, comminuiſſeque, propria ut manu ad uberiores ſegetes arva pararet. Verum ad hæc noſtra tempora propius accedentes, Ludovicus IV. Decimus, etſi Regalibus Verſaliarum deliciis perinde agricultor minime operaretur: attamen Princeps ut erat Floræ acceptiſſimus, nimias ampliſſimæ ditionis curas, ac negotia ſæpe moleſtiſſima temperabat, crebris cum Turenna & Colbertio Viris famoſis, ad florentiſſima ea Loca itionibus, vel ob id inſtitutis, quod ab celebri Notrio (Le notre), primario tunc Verſaliarum Deliciarum cuſtode Rex ſapientiſſimus modum vellet addiſcere viridaria ſumptuoſo luxu inſerendi, viridesque quavis tempeſtate flores habendi.

Marium Cincinnatum, veteresque graviſſimos Romæ Senatores mitto, qui gloriæ duxerunt a roſtris ad rura commeare; nec obire ſolum, ſed manuum labore fundos proprios meliores reddere, & pulcriores. Niſi quod liberæ jam nunc debeo, & exſultantis orationis curſum cohibere: non quaſi ægre ferat oratio in Florum, Herbarumque laudes diutius excurrere, vobisque omnium doctiſ-

 ſimis

ſimis audientibus ſiſtere; ſed quod ipſa veretur oratio veſtra plus ſatis gratia abuti, atque patientia. Tempus vero alio etiam me commonet transferre Sermonem, iisque poſtremo verba facere, qui maximo Vegetabilis Regni theatro locati, lapidis inſtar ſupra lapidem, dicente Ariſtippo, immoti, ſtupidique in medio conſidunt: plane nihil hoc perinde in Circo deprehendentes, quod pulcritudinis, & præſtantiæ artis promerito, aut voluptatem in ipſis excitet, aut admirationem. Etſi quandoque iſti moventur, ſurſum deorſumque per Circum curſitant rudis in modum Bubulci collem trajicientis, atque electa Simplicia, ſanantesque herbas pedibus incaute proterentis; dum contra Medicus attente incedit, omnium vult haberi rationem, ſuam in ſingulis peculiarem virtutem ineſſe perſuaſione devictus. Stupidi ſane cuncti illi homines, atque infeliciſſimi duplo orbati fructu: primo nempe Sapientis, ut ita dicam ignorationis; atque in eorum admiratione conſiſtit, quæ admiratione ſunt digna; altero doctrinæ non acquiſitæ, qui equidem fructus eſt ipſa doctrina; quod enim ſtudendo efficitur, non pabulum eſt modo, verum etiam præmium intellectus amatoris litterarum: At tempus exſpecto, quo ardentiſſima febri, gravi ad pectus Epiphora, ſpina pedi infixa, aut falcis vulnere in Tibia, vel editæ inſipientes iſti & agreſtes, præcipiti arboris prolapſione laborent; tum enimvero herbarum, quas nihili habuerant, vim, & efficaciam profitebuntur: ac folia etiam, ramulos, plantarumque cortices magni pendent, queis temere toties ac ſine delectu uſi ſunt ad ignem excitandum.

Primo tamen celebrandæ Botanicæ utilitatis initio ſic nobis plures obloquentes audio, objicientesque, quibus permoleſta forte eſt tanti ejus commodi, atque emolumenti

menti laudatio. Quod enimvero (inquiunt) eſt herbarum emolumentum, magnifice adeo efferendum? Fructuoſa hac de re inventa anguſtis, ſupra quam dici poteſt, terminis circumſcribuntur. Neque inficiari vult quisquam in plantis, herbis, aut floribus remedia quæque eſſe repoſita tot morbis tantopere, aſſidueque homines conflictantibus. Quorſum vero hæc tandem? ſi vel ex Botanicis, Medicisque experientiſſimi haud certo fidenterque dignoſcunt qua in planta, fronde, radice, flore, aut herba valentiſſimum ſingulari contracto morbo remedium, ejusdemque abſolutorium reperiatur?

Quamquam præſentis inſtituti mei non ſit prolixa refutatio, nec congrua orationis dignitati captioſa, & ſophiſtica diſceptatio: verum tamen liceat hic mihi ad ea, quæ objecta ſunt, reſpondere, atque adverſariorum oppoſitiones plene diluere. Idque ut faciam, bona ipſorum venia præmitto quod eſt veriſſimum, opus ſcilicet eſſe alicujus rei commodis, uſuque carere: quo ejus continuo utilitas nullo queat negotio deprehendi.

Exulet itaque à publicis Scholis, paullisper omnino, exulet Facultas noſtra: defectusque tum ſtatim ejus commoda prædicabit. Sinite immo, ſpectabiles adverſarii, ſinite quæſo, eam ipſe qualemcunque ab ruris hominum mentibus Botanicæ notionem expungam, quam vetuſtiſſima tenent a ſuis Majoribus accepta doctrina. Quamdiu enim ruſticulus, parentum conſilio, unam fauſto exitu puerilibus ſuis morbis herbarum medicinam plerumque adhibebit; nunquam profecto minus utilis poterit Botanica Facultas exiſtimari.

Et vero ſi nihil aut parum ex Botanica in hominum Rem publicam boni provenit: innumera continuo perdant

 Bib-

Bibliothecæ quotquot Scripta Botanicorum. Evulgatas hactenus tanta diligentia, atque impendio Floras, tametſi præcipuarum Academiarum, Britanicæ, Batavæ, Gallicæ, Auſtriacæ, Palatinati, Inſubriæ, Pedemontii præclaris ornatas nominibus, confeſtim abjiciant.

Parvi refert Haematite, Viriculo, Penicillo doctiores, ingenioque, ac omnigena doctrina illuſtres viros, pro ſua quemque parte labori, induſtriæ, & ſtudio non pepercifſe, Floras ut ipſas accurate conderent, abſolverentque exquiſitiſſime. Par ſubit Salomonis liber infortunium; non perinde inane ſapientiſſimi viri opus Aſa exiſtimaret; at vero dum taxat, ne major per ipſum habita naturalium rerum cognitio, populum ſuperſtitione jampridem imbutum plus ſemper in errorem induceret. Verum de hoc ſatis, vel etiam nimium multa. Objecta reliqua audiamus. Quid ipſa (regerunt adverſarii) ſibi arrogat, intenditque Botanica ſuis illis tam magnæ impenſæ viridariis extructis! Tanta nonne quotannis veriſſime auri copia iiſdem alendis inſumitur; quantam poetarum commentis Horti Heſperidum Pomaria nullo labore gignebant? Quæ cauſſa vero eſt, cur multo artificio magnificæ adeo per Vireta iſthæc ad delicias ſemitæ: umbroſæ cur itidem ad jucunditatem hac illac Silvulæ fiant, exoticis conſitæ plantis ab extrema novi orbis parte, publico, nec tenui certe ſumtu, ad nos usque perlatis? Quid latiſſima illa conferunt vaporaria, vitreis undique oocluſa feneſtris: ubi ignis quanquam non Veſtæ ſacer, dies attamen noctesque perpetuo lucet, & ardet, pauci in regioni non ſua, infimæque forte notæ, habendi. Piperis cauſſa, Saccari, Corticis Peruviani, ac Cinnamomi: creandique una Dactilos aliquot, atque Ananas, & pauxillulum

lum Coffeæ Arabicæ: Hæc cum ita ſint, illud ad ſummum vindicare ſibi nunc poteſt Botanica, ut quaſi jure Mendacii vatem redarguat, jam olim libere canentem:

Non omnis fert omnia tellus.

Quorſum tandem (ſic denuo adverſarii inſurgunt) quorſum tandem Botanica facultas, pictis optime tabulis florum, plantarum, herbarumque nomina exhibet perlegenda, quæ diſtributis elegantiſſime centenis plus areolis per viridaria ſua luxuriantur; quum tamen de plerisque non ſatis medica conſtet virtus: immo autem profeſſores quotquot omnimode lateat? Quare ſuſpicari merito quis poſſet tam magnam rariorum, cultarumque arborum, herbarum, floſculorumque collectionem non eum eſſe finem habituram, ut novos Æſculapii Sectatores ad Reipublicæ utilitatem erudiat; aſt potius ut quoque iſta Monumenti marmorei ornamento deſerviant, quod viva æterna aſſentatio ſucceſſu temporis ejus nominis gloriæ dicatum volet: cujus nunc ære immenſa ejusmodi viridans, olensque ſoboles ſuſtentatur. Tantus, uno verbo, diſſimilium omnino rerum in Hortis Botanicis apparatus, quem curioſi ad tempus fortaſſe vix probant, extimum eſt, ac ſupervacuum viſus oblectamentum, otioſa, demensque pompa, maximo Latinienſibus emta pretio, juſtiſſimeque idcirco a Seneca irriſa: cen quæ ab inſtituto, aureaque veterum Romanorum mediocritate ultra modum deſciſcat. Sane pol! Quid iſtud novum eſt genus oſtentationis Botanicorum, & gloriæ? Non eruditionis jactatione, non nominum transalpinorum pronunciatione, non luxu Hortorum, non denique dubiis, ſed certis ægra humanitas pharmacis reficitur, inſtauratur.

 Facunde

Facunde quidem, & docte: At confidenter nimium, & iraeunde. Ego vero leniter, placidéque ad hæc ipſa reponam, quod cauſſa cadere non deſpondeo. Infeliciſſima profecto foret humanitas, ſi de Botanica actum eſſet imposterum: quo Ariſtarchis quibusdam fieret ſatis, concontumelioſe, inſipienterque, ac multa ſemper ubivis, frequentique oratione, ejus ſtudii inanitatem exaggerantibus. „ Sed cum inſipienter factum, & dictum, Plauto mo„ nente, ſapienter ferendum ſit, " eorum ſic obtrectantium nolo hic inſcitiam inſaniamque ſuggillare. Infeliciſſima, inquam, absque Botanica humanitas! eique non abſimilis, qui theſauro dives, ejus pretium fatuus non agnoſceret; aut ægrotans paratum ſalubre Medicamen repudiaret; quod vel belluæ morbo correptæ, una præeunte natura, ſolis in Herbis, frondibusque exquirunt, tntoque nunquam non aptum reperiunt.

Equidem probe intelligo, ad ubercs ex Botanica fructus percipiendos neceſſaria haud eſſe vireta, quæ rectangulis, quadratis, orbiculatis, ad Ellipſeos figuram vergentibus areolis: ſubnigraque ad graphidem venuſtiſſime diſpertita Myrtu, Buxoque in cacumine æque demutilato, ac verſicolori inter ſpatia lapide, odoratoque diſpari flore diſtinctis, geometrice perinde nunc inſtruuntur, faſtuque magnifico inſpectantibus commendantur. Minus porro Silvulis, Tentoriis, Specubus, Cryptis, Labyrinthis eſt opus, ac thermis, ferventiſſimum nobis calorem exoticum, vel in hieme vehentibus. Quandoquidem, ſi de Plinii ſenioris ſententia, nec jejuna adeo terra, nec deſertus locus, neque incultum ſilveſtre nemus, nec prærupta rupes, aut deforme horrendum extat antrum: ubi ſtirpes, herbæ, radices non oriantur medendi utiliſſimæ,

cur

cur poſtea de omnium parente natura, noſtrumque ſtudioſiſſima tam male ſentire velimus, ut ſuos nobis familiares fœtus pari virtutis ope exſpoliaviſſe putemus? „ Ne „ ſilvæ quidem (en verba ipſa laudati dudum philoſophi) „ ne ſilvæ quidem, horribiliorque naturæ facies, medici„ nis caret, ſacra illa parente rerum omnium, nusquam „ non remedia diſponente homini, ut Medicina fieret ſo„ litudo ipſa. “ Cuncta hæc plane non ignoro. At niſi forte Stoicorum deliramenta ſequamur, quorum aliquis abjecte in dolio maluit, quam in Alexandri aula magnifice habitare; niſi, inquam turpia hæc, affectatique philoſophici contemtus imitemur exempla, noſtrum neminem auſurum opinor ſumtuoſa tot Botanica viridaria, maximorum Principum beneficio invecta, improbare, qui cum non injuria cenſeant „ ſibi flagitioſius eſſe magnificentia vinci, quam armis, “ eorum hinc debent animi magnitudinem, regiasque virtutes alias ſummo cum operum ſplendore, majeſtateque conjungere. Cumque jure gentium, pactisque fœderum ſanctioribus obſtricti nequeant, ultra quam decet, arma, dominationemque proferre; propriam ſatius ducunt in humani generis commoda potentiam impendere. Quo circa magno huic intenti negotio ſummi Principes, onuſta auro quamcumque in oram feſtinanter navigia mittunt, mercatisque ingenti numerata pecunia, peregrinis arboribus, herbis, frugibus, ſeminibus, & patrium Regnum perampla incognitorum ante hac vegetabilium copia largiter ditant: & multo plura ad bene valendum, atque efficaciora in his remedia, novamque ſibi ſubjectis una comparant, delectationem: miræ videlicet, variæque hortorum ejusmodi cultionis, quolibet ferme anni tempore, obſervandæ. Et hæc quidem continens, nec in-

termiſſa unquam delectatio, vel ſe ſola, magna eſt mehercule utilitas exiſtimanda.

Ergo præſens meum cogitatum æqui bonique facite Auditores egregii: ſi cum id mihi perſuaſum omnino ſit, plurima, nec exigua Botanicæ ſtudium univerſitati afferre commoda; nihil præterea, quod ad me attinet, inexpertum relinquam, quo ſtudium id ipſum theoretice non ſolum, ſed actu quoque, tum in literario ludo, tum in Hortis dilucide explanem, hortosque ipſos novis ſemper pro virili parte vegetabilibus augeam, atque amplificem. Spero autem fore ut iidem quamprimum tam bene fundatæ facultatis adverſarii dent profecto manus, ſe in errore fuiſſe profiteantur, perſpecto, cognitòque deinceps maximo plane ejus emolumento. Interea Loci amœniorem artis Herbariæ hortum, ſplendidioremque ſimul adeamus, Auditores! En immenſo actutum totius pervii orbis frugum, florum, plantarum comitatu feſtiviſſima vobis ſe ſiſtit Botanica; ingenuaque dum vos aſpectus jucunditate delectat, ſuæ ſecura præſtantiæ hoſtes quotquot præſentia vincit; mihique una graviter ſuccenſet quod ejus in hominum ſocietate promeritorum magnitudini mea longe ſit minor oratio. Frequentiſſima vere equidem omnium ordinum ægrorum multitudo ſupplex Botanicæ opem, & auxilium in dies implorat: priſtinæque poſt firmæ valetudini plerumque reſtituta ſic ferme Botanicæ plaudit, ut ſalva olim Romanorum Republica Pompeio plaudi ſolebat. Præclariſſima certe cæterisque anteferenda, quæ tam illuſtri facto duoitur commendatio! Quod ſi tales dicendi formulas Poeſin ſapere quis dixerit, non magnopere repugnabo, modo tamen non omnino prædicet commentitias. Nam (ut veriſſime loquar) quæ eſt facundia, quæ nummorum vis, tam

tam valens una, ut enunciet: inæſtimabile altera beneficium penſet noſtræ hujus facultatis? Qui par eſſe poteſt Botanica plauſus, non unam modo, ſed univerſam humanam gentem ſanitate tutanti: quæ bonum eſt omnium conſenſione potiſſimum.

Abſinthium, Lappa, Marrubium, Scilla, Chamæpitys, Roſmarinus, Origanum, Jalapa, Saxifraga, Verbaſcum, Meliſſa, Tuſſilago, Cichorium, Lupulus, Sinapis, Nardus ſylveſtris, Althæa, Chamedrys, Cicuta, Parthenium, Ruta, Sexcentæque herbæ aliæ, ac radices noſtris innatæ agris: præter illas quæ diſſitis ad nos alienigenis litoribus veniunt, Peruvianus nempe Cortex, Aloe, Caſſia, Rhabarbarum, Salſaparilla, Galanga; An hæc obſcura ſunt quæque, ac publicis ignota nomina ſacris hoſpitiis, ad ægros, pauperes ſanandos ubique terrarum reclusis? Nemo forſan eſt unus confirmatæ jam ætatis homo, qui alterius aut plurium ex hactenus enumeratis ſubſidio non indiguerit, optimeque nunc valens eorum lætiſſime non meminerit, celebretque adhuc ſummam vegetabilium efficaciam. At quænam alia, Auditores, ingentem adeo utilibus pharmacis conficiendis materiem inſtruit, ſuppeditat. Botanica facultas quotidie nutrit, atque ſuppeditat. Ea eſt contemplatrix, venatrixque naturæ: ea naturæ theſauri una propemodum vigilantior cuſtos. Nullus ejus fugit intuitum terræ partus; cunctos minutiſſime inſpectat, deſcribit; indolem omnium, figuram, qualitates, efficientiam clare dignoſcit. Nimium propterea quivis in Botanicam foret inelegans, & ingratus, qui hominibus belluisque ægrotis propere conſanandis primas ei denegaret. Recenſita tamen adhuc poſtrema haud ſunt erga ſocietatem beneficentiſſimæ ſemper Botanicæ officia. Pro humanis quo-

que artibus, ex quibus tot magni ponderis commoda in Rempublicam promanarunt, ſuas non ſivit umquam: nec vero ſinet in poſterum partes deſiderari: Et ſi hoc fas eſt dictu, quod eſt veriſſimum; ecquando homines tantum ſibi confidere potuiſſent, tumentes ut maris fluctus, parvæ cymbæ commiſſi, impavide adorirentur; ædes proprias temporum injuria tuto defenderent; congruam in agris ad telas poſt ordiendas materiem ſerere; craſſa, ſpiſſaque ligna ad harmoniam canentia reddere perdiſcerent; niſi Abietis, Orni, Pini robur texendis navibus aptiſſimum, Nautas: Laricis, Citri, Quercus, accomodam ad tecta, laquearia, oſtia ædificiorum conficienda ſoliditatem fabros lignarios: Fagi contra, Tiliæ, Populi mollitiem, flexibilitatemque faſciarum pectoralium (ut Antonini Pii temporibus, Julio Capitolino referente, moris erat) faſciarum pectoralium ſub armis; ac Muſicorum itidem quorundam inſtrumentorum opificio admodum opportunam artium Magiſtra Botanica Cithariſtas edocuiſſet? Nonne etiam conſtructionis intimæ fibrati plantarum corticis obſervationes Botanicæ primo fuere textoribus indicio, modum ut perciperent Cannabem, Goſſipium, Lina nendi: juvandique ſic optime per hæc ipſa cubilium, menſæ, cutis nitorem; quod tanti ego hominum magiſterii certe nolim Araneæ gloriam adjudicare? Ad hæc: undenam niſi ex Botanica primum Oleæ, Nucis, Ebeni notio ad nos venit; quod triplex ligni genus, verſicoloribus elegantiſſime maculis venuſtiſſimum, ſollemne facit, poſt depictum, aureumque magnarum ædium Zothecis, vermiculato ſuo opere, ornamentum? Sandali, Geniſtæ, Glaſtri notitiam, tingendi gratia, Infectores; Textoreſque ſerici veſtes fructibus, floribus, Herbis ornatas concinne delineandi artem Botanicæ ſe debere proſten-

tentur. Salicis ſpecies variæ ciſtis, corbibus innectendis idonea, earum opifex favente Botanica internoſcit. Botanica favente Myropolæ ſtillatas, mulſas, odoras aquas efficiunt; dulciariique piſtores fructus aromatibus ubertim illitos, ptiſanæque in modum coctos, ad ſecundæ menſæ fercula condiunt. Ab ea tandem e re frumentaria cibum: ex Uvis vinum, omni tempeſtate ad potionem optimum: ex fructibus, feminibus Gummi omnigenas ſibi homines delicias facere didicerunt.

Oh Studium auro cedroque dignum! Oh ſcientia univerſæ humanitatis amiciſſima! Ecquis te protinus haud æſtimabit, ſuaviſſimumque ſibi non ducet tuæ memoriæ atque contemplationi operam dare! Tu una tot naturæ donorum præſtantia edoces & recreas: tu una docendo & recreando, benevole, liberaliterque hominum rationibus vitæque ſuccurris.

Mantua vetuſtiſſima, celeberrima, munitiſſima, ſpectatæ, uberrimæque ditionis civitas princeps; quid modo ſis, quid antea eſſes, fateri candide ne dedigucre. Utiliores olim perinde omnino languebant artes; quaſdam cœcutientes ferme homines obſidebant officinas, priusquam ſuam hac in horti diæta doctrinam Botanica facultas proponeret, copioſeque & publice, & privatim de re ſua ſermonem haberet! At poſtquam (plures autem certe ſunt anni) multa hic lectione, obſervatioueque, nec non magna audientium, atque inſpectantium frequentia ars exercetur Herbaria; quam majus inde Mantuanis civibus, maximeque ſtudioſis partum eſt oblectamentum & pabulum: quam mitiora ſimul, & majora ad morborum ſanationem invecta ſunt pharmaca; dum quid in herbis; plantis, floribus aptius ſit naturæ loci remedium, ſcientes, ac periti quique veſtratum optime ex Botanica dignovere. Tanto hin-

veſtra

veſtra urbs inclyta jure nunc beatior, lætiorque; quanto eſt præ multis aliis hac etiam utiliſſima facultate locupletior.

Ad extremum mea ad vos redit egregiæ ſpei Juvenes, vosque ſummopere adhortatur oratio, ut qua polletis ingenii facultate, cum vetera imortalitati mandare, tum novis ſemper inventis, nova ſemper Patriæ huic veſtræ nobiliſſimæ comparare bona ſtudeatis. O glorioſiſſimum profecto noſtrum id ævum: ſi tota conſequens ætas veſtrum, Mantuæ cives, ſollertia, ſtudioque factum effabitur, inexſpectata vigentibus tunc artibus commoda inſperatumque Medicinæ pharmacum acceſſiſſe: quo inſanabiles primum firmæ ægroti longævæ ſanitati reddantur. Tanta ſic juſte nominis amplitudine donata, Græciam admodum antecederet, æternumque ei ſilentium Mantua imperaret: ne ſuos amplius, Archimedes, Epidaurios, totamque ſagæ ac Veneficæ Circes herbarum ſeriem venditaret.

Dignum ſane vobis non eſſet Mantuani Juvenes, oportunam adeo Botanicæ addiſcendæ, curandæque patriæ novæ gloriæ ocaſionem prætermittere. Cultas, florentesque nationes in Botanicam ſedulo nunc incumbentes; ſummos principum Adminiſtros, atque Conſiliarios imitamini, qui, ubi per otium licet, libentiſſime & ipſi, Georgicarum rerum ſtudio vacant, quod eſt Botanicæ argumentum; & Tulli Methodum, ac Du Hamelii aratra doctiſſimi illi viri probantes, de bene ſerendo cogitant, major unde ſeges, ac maturior poſthac — colligatur.

Sed extranea mittamus exempla. Clariſſimi civis veſtri Marcelli Donati, cujus vitæ, geſtorumque commentarios veſtratum alius, multa eruditione vir, ac publicus Clinices Profeſſor abhinc triennium edidit inſigne factum (tametſi probe ut puto jam noſtis) juvenes attendite; in-

timo-

que illuſtri exemplo permoti Botanicam tum ſtatim adamate, quam ſibi præ facultatibus aliis fuiſſe cariſſimam, re & ſcripto expreſſe ſatis Donatus edixit. Non tenebo vos in exponenda præclara ejus dicendi ratione; verba quippe ſunt inania, ubi factum per ſe loquitur. Illud itaque meminiſſe ſufficiat, Hominem omni doctrina præſtantem hortum hunc publicum hæredem teſtamento ſcripſiſſe, quod inſigni argumento eſt, quantam Donatus ipſe ceperit, quantam alios ex hac ſcientia voluptatem, utilitatemque percepturos fore crediderit. Quanquam autem id Marcelli Donati (quem tanti Beneficii gratia honorificentiſſime Quartum nomino) non eſt donum Obeliſco celebratiſſimo conferendum, Cambyſe rege ad Ægypti vanitatem erecto, ſempiternum tamen erit ejus juvandæ Patriæ deſiderii, atque amoris monumentum.

Liberaliſſimum excellentiſſimi civis ſic vehementer me ſcribentem commovet teſtamentum; ut niſi inſito ab natura genio, intima tamen certe, ſuavi, ingenuaque benevolentia, non multum a Patriæ amore diſſimili, jam nunc viri de univerſa Mantuanorum Republica optime meriti dolendum ſemper funus publica cupiam ſignificatione aliqua coboneſtare. Temporis ſtudium id eſſe juvenes animadvertite: ac potentiſſimorum hominum eruditorumque ſententia, atque judicio probatum. Scitote, Dominatorem Magnum Leopoldum Secundum graviſſimis imperii negotiis ſtudia conjungere, omninoque hoc noſtrum magni facere, atque tueri. Ipſi vobiſcum ſæpenumero recolite, illuſtres vos eſſe Mantuæ gnatos, nnamque idcirco virtutem majoribus veſtris, egregiaque adeo Parente vos dignos poſſe præbere. Ita enimvero canit Horatius.

For-

Fortes creantur fortibus : & bonis
Eſt in juvencis , eſt in equis patrum
Virtus : nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam ,
Rectique cultus pectora roborant.
Utcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ.

Operæ quæſo ac labori ne parcite : oblectamentis , ludis , aliisque quæ rectæ ſtudiorum rationi obeſſe queunt , juvenes , abſtinete. Reſpuunt enim ſtudia frequentiam , turbam , & inanium rerum illecebras aſpernantur , ſolitudinis tantum amica & quietis : ut recte quidam totum illud ſtudiorum tempus ſe removerint ab hominum multitudine , tandiuque abdiderint in litteris , quamdiu ſui receſſus ac literati otii maturos in lucem fructus efferre poſſent. Veſtrum erit igitur diligentia adhibita bene mox incundam ſtudii hujus tenere rationem , & tantum induſtria , vigiliis , laboribus in jucundiſſimæ , utiliſſimæque facultatis adeptione contendere : ut veſtrum ocyus profectum & admirari , & commendare ſumma animi voluptate mihi contingat. —

9942340